Capitulum. Ecclesiastici 24. [: 15.]

Sicut cynamómum et bálsamum
aromatizans odórem dedi : quasi

mirrha elécta dedi suavitátem odóris.
[*R̄.*] [Deo gratias.]¹⁷⁷

Hymnus. Virgo singuláris.¹⁷⁸

Vitam presta. } **XX.**

Sit laus.

Ÿ. Elégit eam Deus [et preelégit eam.

R̄. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.]

*[Et dicitur hic versus ad completorium de sancta Maria generaliter per totum annum.]*¹⁷⁹

2491. *Ant.* Ecce ancílla Dómini : fiat michi secúndum verbum tuum.

Ps. Nunc dimíttis. [311].

[Ÿ.] [Oremus.]¹⁸⁰

Oratio.

GRátiam tuam quésumus Dómine méntibus nostris infúnde : ut qui ángelo nunciánte Christi Fílii tui incarnatióem cognóvimus : per passióem ejus et crucem, ad resur-

rectiónis glóriam perdúcamur.

Que finitur sic. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum. [*R.* Amen.]¹⁸¹

[*V.*] Dóminus vobíscum. [*R.* Et cum spíritu tuo.]

[*V.*] Benedicámus Dómino. [*R.* Deo grátias.]

Hec oratio dicitur ad simplex completorium de sancta Maria per adventum tantum. Sciendum est quod per totum adventum ad simplex completorium dicantur de sancta Maria antiphone et psalmi predicti : cum predictis capitulis, hymno, et versibus [ut supra].

*[Completorium vero de sancta Maria nunquam dicitur in choro.]*¹⁸²

¶ *Ad matutinas de adventu.*

Dicat sacerdos Pater noster. Ave María. [5].


Postea sacerdos [executor officii]¹⁸³ incipiat servitium [submissa voce]¹⁸⁴ hoc modo.

AS:8; 1519:8v; 1531:3r; US-II:lxvii.¹⁸⁵



Omi-ne lá-bi- a me- a a-pé-ri- es.


Chorus respondeat [hoc modo].




R. Et os me-um annunci- á-bit laudem tu- am.

Sacerdos statim. [Executor officii voce extensa dicat hoc modo ut prius.]¹⁸⁶

AS:1; 1519:4r; 1531:3r.¹⁸⁷



E-us in adju-tó-ri- um me- um inténde.



R. Dómi-ne ad adju-vándum me festí-na. Gló-ri- a Pa-tri. *Œc.*

[sub eodem tono sicut ad vespas.]¹⁸⁸ 8.

¹⁸⁹ *Officium principalis rectoris est in primis Invitatorium querere a cantore, et cantum psalmi Veníte.*


Deinde cum socio suo rectore chori in cappis sericis ad gradum chori simul incipiant Invitatorium.

AS:7; 1519:8v; 1531:3r.¹⁹⁰

1074.



Invit.
IV.i.



C-ce,


Dominica prima adventus.

Chorus prosequatur sic.



ve- nit rex. †Occu-rá- mus ób- vi- am Salva-tó- ri nostro.

Rectores dicant simul totum psalmum Veníte. nullum versum exaltando.



Ps. Ve-ní- te ex-ultémus Dómi-no. (xciv.) [I2].*


Post primum tertium et quintum versum psalmi, repetatur totum invitatorium a Choro. Et post iij. versum a cantore vel succentore reincipiatur invitatorium vocem exaltando [si necesse fuerit]¹⁹¹ : et percantetur a choro. Post secundum vero et quartum et sextum versum psalmi repetat chorus Occurrámus. &c. Deinde reincipiatur invitatorium a rectore et percantetur a choro. Hic ordo observetur per totum annum de invitatoriis cum suis psalmis dicendis nisi a passione Domini usque ad diem pasche : ita tamen quod in festis duplicibus primo percantetur invitatorium a rectoribus chori qui dicturi sunt psalmum Veníte. [et]¹⁹² postea repetatur a choro.

AS:9; 1519:9r; HS:2v; 1531:3r.¹⁹³


Hymn.
II.



Erbum su-pérnum pró-di- ens, A Patre o-lim éx-



i- ens : Qui na-tus orbi súbve-nis Cursu declí-vi témpo-ris.




2. Il-lúmi-na nunc pécto-ra Tu-óque amó-re cóncrema :

8409.

Dominica prima adventus.



Audí-to ut pre-có-ni-o Sint pulsa tandem lúbri-ca.



3. Ju-déxque cum post á-de-ris Rimá-ri facta pécto-ris :



Reddens vi-цем pro ábdi-tis Justísque regnum pro bo-nis.




4. Non demum artémur ma-lis Pro qua-li-tá-te crími-nis :



Sed cum be-á-tis cómpo-tes, Simus perhénnes cé-li-bes.



5. Laus honor virtus gló-ri-a De-o Pa-tri et Fí-li-o :



Sancto simul Pa-rá-cli-to In sempi-térna sé-cu-la. Amen.

¶ *In j. nocturno.*

[Iste iij. antiphone sequentes incipiantur in secunda forma.]¹⁹⁴

AS:pl. B; 1519:9r; 1519-P:3v, 7r; 1531:3r; 1531-P:2v.

1. Ant.
I.v.



203286.



On aufe-ré-tur * scep-trum de Ju-da et dux de



femó-re e-jus do-nec vé-ni- at qui mit-téndus est.



Ps. Beátus vir. (j.) [I4].

Quare fremuérunt. (ij.) [I4].

Dómine quid multiplicáti. (iij.) [I5].

Dómine ne in furóre. j. (vj.) [I6].

Et dicantur sub una voce et sub uno Glória Patri. nullum psalmum exaltando.

¶ *Et notandum quod per totum annum quodocunque plures psalmi habentur sub uno Glória. ad nocturnum vel ad horas nullus eorum debet exaltari antequam perveniatur ad illum versum Glória Patri.*

AS:pl. C.; 1519-P:7r, 10v; 1531:3r; 1531-P:3v.

2. Ant.
II.i.



201602.




- rit ipse * expectá-ci- o génti- um la-vá-bitque



vi-no sto-lam su- am : et sángu-ine u- ve pál- li- um su- um.

Dominica prima adventus.



Ps. Dómine Deus meus. (*vij.*) [18].


Dómine Deus noster. (*viiij.*) [18].

Confitébor. (*ix.*) [19].


In Dómino confido. (*x.*) [20].

sub una voce sub uno Glória Patri. *nullum psalmum exaltando.*

AS:pl. D.; 1519-P:10v; 12r; 1531:3r; 1531-P:4r.



Ulchri- ó-res * sunt ó-cu-li e-jus vi-no : et dentes



e-jus lacte can- di-di- ó-res. *Ps.* Salvum me fac. *j.* (*xj.*) [22].

Usquequo. (*xij.*) [22].

Dixit insípiens. (*xiiij.*) [22].

Dómine quis habitábit. (*xiv.*) [23].

sub una voce, sicut predicti psalmi dicebantur.


℣. Ex Sion spécies decóris ejus.

℟. Deus noster manífeste véniet.

Deinde dicitur Pater noster. *et Ave María.*¹⁹⁵ *a toto choro privatim.* [5].

¶ *Et notandum est quod nunquam in ecclesia Sarum incipitur Pater noster. nec Credo. a sacerdote executore officii in audientia ad aliquod servitium, nisi ad missam tantum : ubi totaliter in audientia dicantur vel cantentur. Et postea dicat sacerdos in audientia.*

AS:9; 1531:3r.



℣. Et ne nos indú-cas in tenta-ti- ónem.

Dominica prima adventus.


Chorus respondeat.



R. Sed lí-be-ra nos a ma-lo.

Clericus lector dicat.

AS:9; 1519:9r; 1531:3r.




Ube dómi-ne be-ne-dí-ce-re.

*Sacerdos [dicat sic Benedictio].*¹⁹⁶



Be-ne-dic-ti-óne perpé-tu-a : be-ne-dí-cat Pa-ter e-tér-nus.

Chorus respondeat.



Amen.

*Et sciendum est quod omnes benedictiones ad matutinas per totum annum modesta voce dicantur a sacerdote interim sedente, nisi tantum ad primam, quartam, et septimam [3v.] lectiones. Tamen in die natalis Domini tres ultime benedictiones stando dicantur. [Finita benedictione sedeat chorus.]*¹⁹⁷

Hac die incipiatur Esaias et legatur per totum adventum quando de temporali agitur nisi in secundo et tertio nocturnis dominicis diebus : et nisi in iiij. et vj. feria et sabbato iiij. temporum.

Clericus primam lectionem legat hoc modo.

Lectio prima. Esaie 1. [: 1-4.]

AS:9; 1519:9r; 1531:3v.



I-si- o E-sá- i- e fí-li- i Amos, quam vi-dit su-per


Dominica prima adventus.




Ju-dam et Hie-rú-sa-lem : in di-é-bus O-zi-e, Jó-atham,



Achaz, et E-zéchi-e re-gum Ju-da. Audi-te ce-li, et áuri-



bus pérci-pe terra : quó-ni-am Dómi-nus lo-cú-tus est. Fí-li-



os e-nutri-vi et ex-ultá-vi : ipse autem spre-vé-runt me.


Cognóvit bos possessórem suum, et ásinus presépe dómini sui : Israel autem me non cognóvit, et pópulus meus non intelléxit. Ve genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini

nequam, filiis scelerátis. Dereliqué-runt Dóminum, blasphemavérunt sanctum Israel : abalienáti sunt retrórsus.

AS:9; 1519:9v; 1531:3v.




Hec di-cit Dómi-nus De-us, convertimí-ni ad me : et



salvi é-ri-tis.

Sic finiantur omnes lectiones de prophetia per totum annum ad matutinas : nisi in vigilia mortuorum : et in tribus noctibus ante pascha. Relique vero lectiones finiantur cum

1519:9v; 1531:3v.



Tu autem Dómi-ne : mi-se-ré-re no-bis.

quotidie per annum : nisi solummodo in vigilia mortuorum et in die animarum et etiam in tribus noctibus ante pascha : que terminentur ut patet in lectionibus.

[Sub hoc tono supradicto leguntur omnes lectiones ad matutinas per totum annum nisi tres prime lectiones in tribus proximis feriis ante pascha. Per totum adventum legantur lectiones de prophetia Ysaie quando de temporali agitur, nisi in secundo et tertio nocturno, in dominicis diebus, et nisi in iij. et vj. feria, et in sabbato quattuor temporum.]¹⁹⁸

Finita lectione non respondeat chorus Deo gr̄atias. [in audientia]¹⁹⁹ sed statim absque intervallo Responsorium incipiatur : quod per totum annum observetur.²⁰⁰

[Questio utrum debemus dicere Tu autem. vel Hec dicit Dóminus. post lectiones de sancta Maria de commemoratione in adventu. Dicendum est quod dicitur Tu autem. ubi non leguntur lectiones de prophetia.]²⁰¹

²⁰² Hac die primum Responsorium incipiatur a tribus pueris in suppelliciis ad gradum chori conversis ad altare : et percantetur a choro videlicet duo pueri ex parte chori cum tertio puero ex opposito in medio eorum stante simul incipiant.

AS:10; 1519:9v; 1531:3v.

1. Responsorium. VII.



- spí-ci-ens a lon-ge


6129.

[Chorus prosequatur.]²⁰³

* ecce ví-de-o De- i po-ténti-am ve-ni-én-tem :

et né-bu- lam to-tam terram te- gén- tem.


Dominica prima adventus.



†I- te ób- vi- am e- i, et dí- ci- te. ‡Núnci- a
no- bis si tu es ipse. ††Qui regna- tú- rus
es. ‡‡In pópu- lo Isra- el.

²⁰⁴ *Solus puer ebdomadarius ex parte chori stans dicat primum versum.*

6129a.



℣. Qui- que terrí- ge- ne et fí- li- i hómi- num : si- mul
in u- num di- ves et pau- per.


Chorus.

†I- te ób- vi- am.

Omnes repetitiones dicantur usque ad finem Responsorii.

Secundus puer ex parte cantoris in medio stans solus dicat secundum versum.


6129b.



℣. Qui re- gis Isra- el intén- de : qui de- dú- cis
ve- lut o- vem Jo- seph.


Dominica prima adventus.

Chorus.




‡Núnci- a.

Tertius puer ex parte chori²⁰⁵ solus dicat tertium versum sic.




6129d.

∞. Ex- cí- ta Dómi- ne po- ténti- am tu- am et ve- ni :




ut salvos fá- ci- as nos.

Chorus.




†† Qui regna- tú- rus es.

¶ Deinde hi tres pueri simul dicant.²⁰⁶



∞. Gló- ri- a Pa- tri et Fí- li- o : et Spi- rí-



tu- i Sanc- to.

Chorus.



‡‡ In pópu- lo Isra- el.

Chorus vero ab inceptione Glória Patri. stare tenetur usque ad inceptiorem²⁰⁷ secunde lectionis. Item omnes tres pueri simul reincipiant Responsorium Aspiciens a longe. et percantetur a choro [responsorium].

Lectio secunda. [Esaie 1 : 5-9.]


Super quo percútiám vos ultra
addéntes prevaricatióem ?
Omne caput lánguidum et omne cor
merens : a planta pedis usque ad
vérticem, non est in eo sánitas.
Vulnus et livor et plaga tumens, non
est circumligáta : nec curáta medi-
cámine neque fota óleo. Terra vestra
desérta : civitátes vestre succénse igni.
Regiónem vestram coram vobis aliéni

dévorant : et desolábitur sicut in
vastitáte hostíli. Et derelinquétur filia
Syon ut umbráculum in vínea, et sicut
tugúrium in cucumerário : sicut
cívitas que vastátur. Nisi Dóminus
exercítuum reliquísset nobis semen :
quasi Sódoma fuissémus, et quasi
Gomórra símiles essémus.

Hec dicit Dóminus Deus, con-
vertímini ad me : et salvi éritis.


AS:10; 1519:10v; 1531:3v.²⁰⁸

6128. 2. Resp. VI.



- Spi- ci- é-bam * in vi- su noc- tis : et ec-
ce in nú-bi-bus ce- li fí-li- us hó-mi-nis
ve- nit. †Et da- tum est e- i reg- num et ho-
nor et omnis pó- pu-lus tri- bus et lin-gue sér- vi- ent

Dominica prima adventus.



e- i. *Ps.* Po-tés-tas e- jus po-téstas e-térna que non
 aufe- ré- tur : et regnum e- jus quod non cor-rumpé-
 tur. †Et da- tum est.

6128b.

Lectio tertia. [Esaie 1 : 10-15.]

Audite verbum Dómini principes Sodomórum : áuribus percípíte legem Dei vestri pópulus Gomórre. Quo michi multitudínem victimárum vestrárum dicit Dóminus ? Plenus sum. Holocáusta arietum, et ádipem pínguium : et sánguinem vitulórum, et agnórum et hircórum nólui. Cum venirétis ante conspéctum meum : quis quesívit hec de mánibus vestris, ut ambularétis in átriis meis ? Ne offerátis ultra sacrificium frustra.

michi. Neoméniam et sábbatum et festivitátes álias non feram. Iníqui sunt cetus vestri. Kaléndas vestras et solennitátes vestras odívit ánima mea : facta sunt michi molésta. Laborávi sústinens. Et cum extendéritis manus vestras, avértam óculos meos a vobis : et cum multiplicavéritis oratiónem, non exáudiam. Manus enim vestre : ságuine plene sunt. Hec dicit Dóminus [Deus, convertímini ad me : et salvi éritis.]

[4r.] Incénsum vestram abominátio est

AS:10; 1519:11r; 1531:4r.²⁰⁹

3. Resp.
VII.




Issus est * Gábri- el án- ge- lus ad Ma-rí- am



7170.

Dominica prima adventus.

vír-gi- nem de sponsá- tam Jo- seph : núnci- ans e- i
verbum, et ex- pa- véscit virgo de lú- mi- ne : ne
tí- me- as Ma- rí- a, inve- nís- ti grá- ti- am a- pud Dó-
mi- num, ecce concí- pi- es et pá- ri- es. †Et vo-
7170b. cá- bi- tur Altís- simi Fí- li- us. ⁊ Da-
bit e- i Dómi- nus De- us se- dem Da- vid pa- tris e- jus :
et regná- bit in domo Ja- cob in e- tér- num.
†Et vo- cá- bi- tur. ⁊ Gló- ri- a Patri. XX.



†Et vo-cá-bi- tur.


¶ *In secundo nocturno.*

AS:pl. D; 1519:11v; 1519-P:12v, 13r; 1531:4r; 1531-P:4v.²¹⁰


4. Ant.
IV.i.




Ethle- em * non es mí-nima in princí-pi-bus



Ju- da, ex te e-nim é- xi- et dux qui re-gat pópu-lum



me- um Isra- el: ipse e-nim salvum fá-ci- et pópu-lum



su- um a peccá-tis e- ó-rum. *Ps.* Consérva me. (*xv.*) [24].

AS:pl. E; 1519-P:13v, 14v; 1531:4r; 1531-P:4v.²¹¹

5. Ant.
V.i.




C- ce vir-go * concí-pi- et et pá-ri- et fí-li- um :



et vo-cá-bi-tur nomen e-jus Emá-nu-el.

1737.

2557.



Ps. Exáudi Dómine. (xvj.) [27].

AS:pl. F; 1519-P14v, 17r; 1531:4r; 1531-P:5r.²¹²

203738.


6. Ant.
VI.



- ri- é- tur * in di- é- bus e- jus justí- ci- a et a-



bundánci- a pa- cis et a- do- rá- bunt e- um omnes re- ges :



omnes gen- tes sérví- ent e- i. Ps. Díligam te Dómine. (xvij.)

℣. Egrediétur virga de radice Jesse.

[29].

℟. Et flos de radice ejus ascéndet.

Tres medie lectiones [fiant]²¹³ de sermone beati Maximi episcopi : et legantur sine titulo : sed cum Jube dómine benedicere. incipiantur et cum Tu autem [Dómine].²¹⁴ finiantur.


Lectio quarta.

Igitur quóniam post tempus spiri-
rituálibus épulis reficere nos de-
bémus : videámus quid evangélica
léctio prosequátur. Ait enim Dómi-
nus, (sicut audívimus) de advéntus sui
tém-pore. Sicut fulgur chorúscans de
sub celo : ita erit advéntus filii
hóminis. Et addidit in consequén-
tibus. In illa nocte erunt duo in lecto
uno, unus assumétur : et unus relin-

quétur. Due moléntes in pistríno,
una assumétur : et una relinquetur.
Movet fortásse vos fratres : cur
Dóminus advéntum suum índicans
noctis se tém-pore osténderit adventú-
rum, cum utíque advéntus ejus magna
cum claritáte diéi, magno cum tre-
móre et timóre súscipi debéret a
cunctis. Tu autem.

AS:11; 1519:11v; 1531:4r.

4. Resp.
VII.



- ve * Ma-rí- a grá-ti- a ple-na Dó-mi-
nus te- cum. †Spí-ri-tus sanctus su-per- vé-ni- et
in te : et vir- tus Al-tís-simi obumbrá-
bit ti- bi. ‡Quod e-nim ex te nas-cé- tur sanctum :
vo-cá- bi- tur Fí- li- us De- i. ⁊ Quó- mo- do
fi- et istud quó- ni- am vi- rum non cognó- s- co ? Et res-
póndens ánge- lus di- xit e- i. †Spí-ri- tus.
Quando dicitur [⁊] Glória Patri. XX., repetatur ‡Quod enim.

6157.
6157a.

Lectio v.

Requénter audívimus sacris líte-
ris predicátum, príusquam Dó-

minus Jesus Christus advéníat anti-
christum regnatúrum. Qui ita téné-

bras humano géneri sue pravitatis infundet ut lucem veritatis nemo pene perspiciat : et caligine propria operiens mentes hominum, cecitatem quandam spiritalibus oculis exhibebit. Nec mirum si diabolus emittat iniquitatis tenebras : cum ipse sit nox omnium peccatorum. Ad hujus igitur [noctis]²¹⁵ tetram caliginem depellendam : velut fulgur quoddam Christus adveniet. Et sicut lucente die nox subvertitur : ita coruscante Salvatore antichristus effugabitur. Nec ulterius poterit disseminare iniquitatis sue tenebras : cum lumen veritatis effulserit. Quod autem ait, In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et unus relinquetur : hic

jam resurrectionis meritum demonstratur, quod pro qualitate vivendi sit gratia resurgendi. Ac tantam in singulis quibusque resurrectionis esse distantiam : ut duobus etiam pariter dormientibus et una sede quiescentibus, equalis non possit esse assumptio. Quamvis enim eodem consortii lectulo teneantur : pro meritis tamen alter eorum rapietur in celum, alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam noster communis est terre hujus amplissimum solum : in quo corpora nostra deposita, tutissima sede requiescunt. In hoc autem lectulo ille mollius dormit : quisquis durius in hac vita sese gesserit. Tu autem.

AS:11; 1519:12r; 1531:4r.²¹⁶

7744.

5. Resp.
IV.



Usci-pe verbum * vir-go Ma-rí- a quod ti- bi

a Dó- mi- no per ánge- lum trans- mís- sum est : concí-

pi- es per au- rem, De- um pá- ri- es et hó- mi- nem. †Ut

Dominica prima adventus.

be-ne-dícta di-cá- ris inter om- nes mu- li-
 é- res. ¶ Pá-ri- es qui-dem fí-li- um sed virgi-ni-tá-
 tis non pa-ti- é-ris detriméntum : effi-ci- é-ris grá-vi- da,
 et e-ris ma-ter sem-per in- tác- ta. †Ut be- ne-dícta.

7744b.

Lectio sexta.


[4v.] **P**ossumus étiam ipsa membra nostra léctulos nostros própios nuncupáre : in quibus ánime nostre velúti in quodam stratu suavíssime demorántur. Quod quidem sanctum prophétam sensísse árbitor : cum dicit, Univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus. Beátus est enim ille cujus stratum Dóminus in ipsius infirmitáte convértit : ut qui fúerat paulo ante iracúndus et adúlter et pétulans et cunctórum scélerum infirmitátibus plenus, assuétum corpus ejus malo versans Dóminus, fiat castus húmilis et modéstus. De quo stratu spirituáliter ad paralíticum

dictum est a Dómino, Surge tolle grabátum tuum et ámbula. Non enim tam in eo admiratiónis áliquod erat, ut confrácti léctuli lígneum cratem portáret paralíticus : quam ut resoluti córporis membra et debilitáte confrácti, velut ánime sue necessárium léctulum paralíticus ipse gestáret, et coram pósitois Judéis própriis abíret pédibus : qui mánibus allátus fúerat aliénis. In hoc plane (sicut dixi) compléta est prophética illa senténtia, Versásti stratum ejus in infirmitáte ejus : ut versa vice portáret lectum in quo fúerat paulo ante portátus. Et ánima illíus que prius vásculo córporis

ferebátur : póstea corpus suum ipsa
 utílius circumfēret. Potest étiam
 áccipi quod ait. Erunt duo in lecto
 uno : unus assumétur scílicet Christi-
 anórum plebs, et unus relinquetur
 pópulus Judeórum. Qui velut uno
 léctulo, hoc est una mandatórum lege


tenéntur : et velut símili resurrec-
 tíonis spe gloriántur. Tunc ígitur
 Christianórum beátus pópulus assu-
 métur in glóriam : Judeórum autem
 execrábilis convéntus, relinquetur in
 terra. Tu autem.

AS:12; 1519:12r; 1531:4v.²¹⁷

7562. 6. Resp. III. 

Alva-tó-rem * expectá- mus Dó-mi-num Je-
 sum Chris- tum. †Qui re-formá-bit corpus hu-mi-li-tá-
 tis nos- tre. ‡Confi-gu-rá-tum córpo-ri cla-ri-tá-
 7562b. tis su- e. ✠. Só- bri- e et juste et pi- e vi-vámus
 in hoc sé-cu- lo : expectántes be- á-tam spem et ad-
 véntum gló-ri- e magni De- i. †Qui re-formá-bit.

Dominica prima adventus.



∅. Gló- ri- a Patri. XX. ‡Confí-gu-rá-tum.

¶ *In tertio nocturno.*

AS:pl.F.; 1519:12v; 1519-P:17v, 18v; 1531:4v; 1531-P:5v.

7. Ant.

VII.i.




3967.

Ox pre-céssit * di- es autem appro-pinquá-bit : abji-



ci- ámus ergo ópe-ra te-nebrá-rum : et indu- ámur arma



lu-cis. *Ps.* Celi enárrant. (*xviiij.*) [33].

AS:pl.G.; 1519-P:18v, 19r; 1531-P:5v.


8. Ant.

VIII.i.



3134.

O-ra est * jam nos de somno súrge-re : et a-pér-ti



sunt ó-cu-li nostri súrge-re ad Christum : qui- a lux ve-ra



est fulgens in ce-lo. *Ps.* Exáudiat te Dóminus. (*xix.*) [35].

AS:pl.G.; 1519-P:19r, 20r; 1531:4v; 1531-P:6r.²¹⁸

2932. 9. Ant.
IV.i.



Audé-te * in Dómi-no semper : modésti- a vestra
no-ta sit ómni-bus : Dómi-nus prope est nichil sol-lí-ci-ti
si-tis : sed in omni o-ra-ti- óne pe-ti-ti- ónes vestre in-

no-téscant a-pud De-um. *Ps.* Dómine in virtúte. (xx.) [36].

℣. Egréditur Dóminus de loco sancto suo.


℟. Véniet ut salvet pópulum suum a peccátis eórum.

*Non dicatur ulterius.*²¹⁹

¶ *He predicte antiphone in nocturnis hujus dominice cum suis psalmis dicantur omnibus dominicis per totum adventum.*

Lectio septima de expositione evangelii hoc modo incipiatur : post acceptam benedictionem cum Jube dómine benedícere. 44. Et sequatur sic.

AS:12; 1531:4v.²²⁰




Ecti- o sancti e-vangé-li- i se-cúndum Matthé-um.

Non dicatur Glória tibi Dómine.



Lectio septima. Matt. 21. [: 1.]



lo t mpo-re.

Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset B tphage ad montem Oliv ti : tunc misit duos discipulos dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est : et statim inveni tis  sinam alligatam et pullum cum ea. S lvite : et adducite michi. Et reliqua.

Finitis verbis evangelii : dicat lector titulum [scilicet]²²¹ de Omelia sub eodem tono quo et lectio dicebatur : ita quod non dicatur, de eadem lectione. per totum annum quando de temporali agitur scilicet in fine, sed hoc modo hac die. Omelia ex²²² diversis tractatibus.

quod per totum annum observetur secundum Sarum : ut post evangelia suis locis intitulantur.

B tphage, domus bucce sive domus maxillarum interpretatur, qui sacerdotum viculis erat, et confessionis portabat typum : et erat situs in monte Oliv ti, ubi lumen scientie, ubi laborum et dolorum requies est. Tunc misit duos discipulos suos. Non immerito possunt duo discipuli ad exhibenda D mino animalia destinati, duo predicatorum ordines, unus videlicet in gentes, alter in circumcisionem directus intelligi. Qui recte duo mittuntur : sive propter scientiam veritatis et operationis mundiciam, sive propter gemine dilectionis, Dei videlicet et proximi [5r.] sacramentum toto orbe predicandum. [Tu autem.]

AS:12; 1519:12v; 1531:5r.²²³

7. Resp. III.

Ud te verbum * D mi-ni gen-tes et annuncii-

 -te il- lud in fi- ni-bus ter- re, et in insu-lis

6149.

6149b.

que pro-cul sunt dí-ci-te. †Salvá-tor nos- ter ad- vé-
 ni- et. ✠. Annunci- á- te et audí-tum fá-ci- te :
 loquími-ni et cla-má- te. †Salvá-tor nos- ter.

Lectio octava.

ITe in castéllum quod contra vos est. Contra enim apóstolos erat : nec jugum doctrinárum volébat accípere. Missi ígitur isti discípuli doctóres significánt : quos ut indócta ac bárbara tótius orbis loca quasi contra pósito castélli ménia evangelizándó penetrárent destinávit. Et statim inveniétis ásinam alligátam : et pullum cum ea. Sólvite : et addúcite michi. Introeúntes mundum predicatorés sancti : invenérunt pópulum natiónum perfidie vínculis irrétitum. Funiculis enim peccatórum suórum : unusquisque constrictus erat. Nec solum natiónum : verum étiam Judeórum. Omnes enim peccavérunt : et

egent glória Dei. Asina quippe que subjugális fuit et edomíta, synagógam que jugum legis tráxerat : pullus ásine lascívus et liber, pópulum natiónum significat. Super quem nullus adhuc hóminum sedit : quia nemo rationalium doctórum, frenum correctiόνis, quod vel linguam cohíberet a malo, vel in artam vite viam ire cógeret, nemo induménta salutis quibus spirituáliter calefieret : pópulo gentílium utilia suadéndo contúlerat. Sedéret namque super illum homo : si áliquis ratióne utens, ejus stulticiam depriméndo corrígeret. Tu autem Dómine.

AS:13; 1519:13r; 1531:5r.²²⁴

8. Resp.

III.



C-ce virgo * concí-pi- et et pá-ri- et fí-li- um,

6620.

di- cit Dómi- nus. †Et vo-cá-bi-tur nomen e-jus

Admi-rá- bi- lis De- us for- tis. ⁊ Su-per só- li-

6620b.

um Da-vid et su-per regnum e- jus se-dé-bit in

e- tér- num. †Et vo-cá-bi-tur.

Lectio ix.

ET si quis vobis áliquíd dixerit :
dícite quia Dóminus hiis opus
habet : et conféstim dimíttet eos. In
Luca scriptum est, quia dixerunt
dómini ejus ad illos. Quid sólvitis
pullum ? Et apérte satis. Multos
quippe habébat dómínos : qui non
uni dogmáti et superstitióni déditus,
sed pro líbito immundórum spirítu-
um, ad vários diversósque miser
aptabátur erróres : ad simulácra muta

prout ducebátur incédens. Hoc au-
tem totum factum est, ut implerétur
quod dictum est per prophétam
dicéntem, Dícite filie Syon. Ecce rex
tuus venit tibi mansuétus : sedens
super ásinam et pullum filium
subjugális. Hoc in Zacharía scriptum
est. Fíliam Syon hystoriáliter Hierú-
salem totam : vel Syon que in arcem
pósita erat dicit. Spirituáliter vero
sanctam ecclésiám significat ad quam


Dominica prima adventus.

Christus venire dignatus est. Quod dixit Rex tuus, ac si dicat. Non extraneus non alienigena : sed proprius. Mansuetus : id est non ferox et

immittis ut ceteri. Ipse enim de se ait, Discite a me : quia mitis sum et humilis corde. [Tu autem.]

AS:13; 1519:13r; 1531:5r.

9. Resp.
II.

7068.  E- tén- tur ce- li * et ex-úl- tet ter- ra :

ju- bi- lá- te mon- tes lau- dem qui- a Dó- mi- nus nos- ter

vé- ni- et. † Et páu- pe- rum su- ó- rum mi- se- ré-

7068b. bi- tur. ✠. O- ri- é- tur in di- é- bus e- jus justí- ci- a

et a- bundán- ci- a pa- cis. † Et.

✠. Glória Patri. **XX.** † Et.

Non dicatur Te Deum. per totum adventum de quocunque fit servitium sed ix. Responsorium reincipiatur. Et hoc fiat in dominicis et in festis ix. lectionum tantum. Non dicatur etiam per totum annum Te Deum. in vigiliis, nec in quatuor temporibus nisi in vigilia epiphaniae quando in dominica contigerit, et preterquam in iiij. temporibus ebdomade penthecostes.

Hec responsoria que sequuntur dicuntur ferialia quia in feriis per ebdomadam dicantur : ut postea docebitur.

℞. Obsécro Dómine. 114. ✠. A solis ortu.


Dominica prima adventus.

R. Aliéni. *ii*5. *V.* Ego véniam. †Nam. *V.* Glória. ‡Et colles.

[*Ante laudes.*]

Finito ultimo responsorio dicat sacerdos loco nec habitu mutato hunc versum ante laudes [in choro stando]²²⁵ [modesta voce].²²⁶

AS:13; 1519:13v; 1531:5r; US-II:218.

 8051.
- mitte agnum Dómi-ne domi-na-tó-rem terre.



R. De petra de-sérti ad montem fí-li- e Sy-on.

[Iste versus dicatur ante laudes tam in dominicis quam in feriis per totum adventum, usque ad vigiliam nativitatis Domini quam de temporali agitur.]²²⁷

 *In laudibus.*


[Deinde]²²⁸ sacerdos dicat [hoc modo].²²⁹

1519:14r; 1531:5r.²³⁰

 
E-us in adju-tó-ri- um me- um inténde. *R.* Dómi-ne

ad adju-vándum me festí-na. Gló-ri- a Pa-tri et Fí-li- o. *Ec.*
ut supra 8.

AS:13; 1519:14r; 1531:5r.

1. Ant.
VIII.i.
 3244.
N il-la di- e * stil-lá-bunt montes dulcé-di-nem : et

Dominica prima adventus.




colles flu-ent lac et mel al-le-lú-ya. *Ps.* Dóminus regnávít.

(*xcij.*) [43].


AS:13; 1519:14r; 1531:5r.

3509.

2. Ant.
VIII.i.



O-cundá- re * fí- li- a Sy- on : ex-últa sa- tis



fí- li- a Hie-rú-sa-lem al-le-lú-ya. *Ps.* Jubiláte Deo omnis

terra. (*xcix.*) [44].

AS:13; 1519:14r; 1531:5r.

2509.


3. Ant.
V.i.



C-ce Dómi-nus vé-ni-et * et omnes sancti e-jus



cum e-o : et e-rit in di-e il-la lux magna al-le-lú-ya.



Ps. Deus Deus meus. (*lxiij.*) [44].

et *ps.* Deus misereátur. (*lxiij.*) [45] [*sub uno tono et*]²³¹ *sub uno* Glória Patri.
dicantur : quod etiam per totum annum observetur quando Glória Patri. dicitur.

AS:13; 1519:14v; 1531:5r.²³²

4. Ant.
VII.ii.




4133.

M-nes * si-ti-én-tes ve-ní-te ad aquas : qu-ri-



te Dómi-num dum inve-ní-ri po-test al-le-lú-ya.




Ps. Benedícite. [45].

Et dicatur sine Glória Patri. per totum annum, quandocunque dicitur [in laudibus].²³³


AS:13; 1519:14v; 1531:5r.²³⁴

5. Ant.
IV.v.



2552.

C- ce vé-ni- et * prophé-ta magnus : et ipse reno-



vá-bit Hie-rú-sa-lem al-le-lú-ya. *Ps. Laudáte Dóminum de celis. (cxlviiij.) [47].*

et ps. Cantáte. (cxlix.) [47]. *et ps. Laudáte Dóminum in Sanctis. (cl.) [47]. [sub uno tono et]²³⁵ sub uno Gló-ria Patri. dicantur in laudibus per totum annum quando Glória Patri. dicitur. [5v.]*

Hi psalmi predicti dicantur in laudibus omnibus dominicis per annum preterquam a lxx. usque ad passionem tantum. Dicantur etiam in omnibus festis sanctorum tam trium quam ix. lectionum per totum annum et non in feriis nisi in tempore paschali.²³⁶

Capitulum. Rom. 13 [: II.]


Hora est jam nos de somno súr-
gere : nunc enim²³⁷ própior est

nostra salus : quam cum credídimus.
Chorus respondeat. Deo grátias.

AS:13, pl.d.; 1519:14v; HS:3v; 1531:5v.²³⁸

8413.

Hymn.
II.




Ox cla-ra ecce ínto-nat, Obscú-ra queque íncré-



pat : Pel-lántur émi-nus sómni- a, Ab ethre Christus prómi-



cat. 2. Mens jam re-súrgat tórpi-da : Que sorde extat sáuci-




a : Sy-dus re-fúlget jam no-vum, Ut tol-lat omne nó-xi- um.



3. E sursum Agnus mít-ti-tur, La-xá-re gra-tis dé-bi-tum :



Omnes pro indulgénti-a Vo-cem demus cum láchrimis.




4. Se-cúndo ut cum fúlse-rit, Mundúmque horror cínxe-rit :



Non pro re-á-tu pú-ni-at, Sed pi-us nos tunc pró-te-gat.

Dominica prima adventus.



5. Laus honor virtus gló-ri- a De-o Pa-tri et Fí-li- o : Sanc-



to simul Pa-rá-cti-to In sempi-térna sé-cu-la. Amen.

℣. Vox clamántis in desérto.

℞. Paráte viam Dómini : rectas fácite sémitas Dei nostri.


Iste versus et ceteri versiculi predicti scilicet de nocturnis : dicantur per totum adventum suis locis quando de temporali agitur.

AS:14; 1519:15r; 1531:5v.


Ant.
VIII.i.



Pí- ri- tussánctus * in te descéndet Ma-rí- a : ne tí-



me- as ha-bens in ú-te-ro Fí-li- um De- i al-le-lú-ya.



Ps. Benedíctus. 60.*

Oratio. Excita quésumus Dómine poténtiam. ut supra. 16.


5006.

Memoria de sancta Maria.


AS:14, 34, 420, pl. k.; 1519:15r; 1531:5v.²³⁹

3794.

Ant.
VIII.i.



Issus est * Gábri-el ánge-lus ad Ma-rí-am



vír-gi-nem desponsá-tam Jo-seph.

℣. Egrediétur virga [de radíce Jesse.

℞. Et flos de radíce ejus ascéndet].

Oratio. Deus, qui de beáte Marie. 21.

Hec Antiphona dicatur ad memoriam de sancta Maria ad matutinas in festo ix. lectionum per adventum et in commemoratione.

Deinde dicantur matutine de sancta Maria sine nota statim post vespervas et matutinas de die : quando in choro dicuntur.

[**¶** *Et sciendum est quod per totum annum dicuntur matutinas et vespere de sancta Maria statim post matutinas et vespervas de die quando in choro dicuntur.*]²⁴⁰

¶ *In adventu quando aliquod festum ix. lectionum in sabbato contigerit : ibi celebretur et secunde vespere erunt de dominica et solennis memoria de festo : nisi duplex festum fuerit : tunc enim erunt vespere de festo et solennis memoria de dominica sequenti : nisi in primo sabbato adventus Domini : tunc vespere erunt de dominica quodcunque festum fuerit.*

Si vero aliquod festum ix. lectionum in aliqua dominica per adventum contigerit semper differatur in crastinum : licet duplex festum fuerit. Et quando differtur in crastinum vel in eadem feria festum contigerit : tunc enim in dominica erunt vespere de festo : et solennis memoria de dominica que precedet memoriam beate Marie.

¶ *Et sciendum est quod de quocunque festo fit servitium infra adventum : semper fit solennis memoria de adventu et de sancta Maria. De festis autem iij. lectionum in adventu [continguntur]²⁴¹ nichil fiat nisi de octavis sancti Andree [apostoli]²⁴² : nec etiam memoria fiat secundum usum Sarum.*

Dominica prima adventus.

¶ *Notandum est si festum sancti Andree in dominica prima adventus Domini contigerit, semper differatur in crastinum, licet ecclesia dedicata fuerit in honore sancti Andree. Residuum istius rubricae scilicet sancti Andree require in festo ejusdem.*

[In adventu ad horas de beata Maria.]

[Ad matutinas.]

¶ *Ad matutinas de sancta Maria per totum adventum quando non fit plenum servitium de ea hoc modo fiat servitium.*

1041. *Invitatorium.* Ave María grátia plena Dóminus tecum.

Ps. Veníte. [6].

Et dicetur in secunda forma ab aliquo clerico ex parte chori : quod per totum annum observetur quando non fit plenum servitium de ea.

Hymnus. Quem terra. **XX.**

¶ *Dominica et ij. feria.*

1709. *Ant.* Benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui.

Ps. Dómine Dóminus noster. (*viiij.*) [18].

Ps. Celi enarrant. (*xviiij.*) [33].

Ps. Dómini est terra. (*xxiiij.*) [85].

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua.

℞. Inténde prospere procéde et regna.

¶ *Feria iij.*

4987. *Ant.* Spécie tua et pulchritúdine tua : inténde prospere procéde et regna.

Ps. Eructávit. (*xliij.*) [179].

Ps. Deus noster refúgium. (*xlv.*) [180].

Ps. Fundaménta. (*lxxxvij.*) [231].

℣. Diffúsa [est grátia in lábiis tuis.

℞. Proptérea benedíxit te Deus in etérnum].

¶ *Feria iiij.*

2924. *Ant.* Gaude María virgo : cunctas héreses sola interemísti in univérso mundo.

Ps. Cantáte. *j.* (*xcv.*) [237].

Ps. Dóminus regnávit exúltet. (*xcviij.*) [238].

Ps. Cantáte. *ij.* (*xcviij.*) [246].

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. (*ut supra.*)

¶ [Feria v. vj. et sabbato.]

Feria v. vj. et sabbato, quando non fit plenum servitium de sancta Maria : idem ordo antiphonarum et psalmorum et versiculorum servetur qui in precedentibus feriis.

¶ Sciendum est autem quod quando servitium de sancta Maria propter aliquod festum [duplex]²⁴³ pretermittitur de choro, nichilominus ordo ferialis in antiphonis, psalmis, et versibus servabitur in sequenti feriis in conventu quod per totum annum generaliter observetur. Nam quotidie per totum annum sive in choro sive extra chorum vespere et matutine de sancta Maria dicantur [nisi in die nativitas Domini et in circumcisionis, et in vigilia epyphanie, et in festo omnium sanctorum].²⁴⁴ Quod per totum annum generaliter observetur. Omnes lectiones in secunda forma legantur, versus quoque responsoriorum ab eisdem lectoribus dicantur, ita tamen quod prima et iij. lectiones ex una parte chori legantur et secunda ex altera parte chori : quod per totum annum observetur in quotidianis matutinis de sancta Maria. [6r.]

Lectio j. Esaie. 11. [: 4.]



Grediétur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascéndet : et requiétet super eum Spíritus Dómini, spíritus sapiéntie et intelléctus : spíritus consílii et

fortitúdinis, spíritus sciéntie et pietátis : et replébit eum spíritus timóris Dómini.

Que terminetur sic, Hec dicit. Similiter ij. et tertia lectiones.

℞. Missus est Gábiel. *ut supra* iij. 51.

Lectio ij. [Esaie. 11 : 3–5.]

¶ Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet : sed judicábit in justícia páuperes, et árguet in equitáte pro mansuétis terre. Et

percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interficiet ímpium : et erit justícia cingulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus. Hec dicit.

℞. Ave María. *ut supra* iij. 55.

Lectio iij. Esaie. 7. [: 10–15.]

¶ Locútus est Dóminus ad Achaz dicens, Pete tibi signum a Dó-

mino Deo tuo in profúndum inférni : sive in excélsu supra. Et dixit

Achaz, Non petam : et non tentábo Dóminum. Et dixit, Audíte ergo domus David. Nunquid parum vobis est moléstos esse homínibus quia molésti estis et Deo meo ? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis sig-

num. Ecce virgo concípiet et páriet filium : et vocábitur nomen ejus Emánuel. Butírum et mel cómedet : ut sciat reprobáre malum : et elígere bonum. [Hec dicit.]

R̄. Súscipe verbum. *ut supra v. 56.*

Et dicantur iste lectiones cum predictis Responsoriis de sancta Maria quotidie per adventum, nisi quando non fit plenum servitium sancta Maria.

Non dicatur Te Deum. per totum adventum.

[Tund sacerdos executor officii dicat]²⁴⁵ ante laudes, V̄. Sancta Dei génitrix [virgo semper María.

R̄. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum].²⁴⁶

Iste versiculus dicatur ante laudes per totum annum quando non fit plenum servitium de sancta Maria.

[In laudibus.]

4392. *In laudibus hec sola antiphona.* Prophéte predicavérunt nasci salvatórem de vírgine María.

Ps. Dóminus regnávít. (xcij.) et ceteri psalmi consueti. [43].

Capitulum. Ecce virgo concípiet. 23.

Hymnus. O gloriósa fémina. [ex sanctorali. **XX.**]

V̄. Elégit eam Deus [et preelégit eam.

R̄. Et²⁴⁷ habitáre eam facit in tabernáculo suo].²⁴⁸

5006. *Ant.* Spíritus Sanctus in te descéndet María, ne tíneas habens in útero Fílium Dei allelúya.

Ps. Benedíctus. [52].

Oratio. Concéde nos. [24]. *Que terminetur sic.* Per Christum Dóminum nostrum. *sicut ad vespas supra dictum est. Et fiat memoria de Sancto Spiritu, et de sancto ecclesie, et de reliquiis et de omnibus sanctis et de pace : ut supra [dictum est]²⁴⁹ ad vespas. 24.*

☞ *Quotidie per totum annum dicuntur vespere et matutine de sancta Maria in choro :*

nisi in festis duplicibus et nisi in vigilia natalis Domini : et ab hinc usque ad octavam sancti Stephani, et nisi in vigilia epiphaniæ : et a cena Domini usque in crastinum octavarum pasche et per ebdomadam penthecostes et per octavam dedicationis ecclesie. Et nisi quando fit memoria de sancta Maria ad vespervas de die cum antiphona Sub tuam.

Cetere hore scilicet prima, tertia, sexta, et nona, et etiam completorium non dicuntur in choro.

Quandocumque dicuntur matutine de sancta Maria ferialiter in choro : tunc dicuntur hore ejusdem, videlicet prima, iij. vj. et ix. ante inchoationem misse beate Marie : in capella ejusdem ab executore illius misse cum aliis vicariis qui ibidem tenentur interesse [: et ante quemlibet horam dicatur Ave Maria. sub silentio cum genuflectione].²⁵⁰

[Completorium ejusdem semper extra chorum dicitur.]²⁵¹

[Ad primam.]

Ad primam et ad omnes alias horas per totum annum quando non fit plenum servitium de sancta Maria, dicitur hic hymnus.²⁵²

Meménto salútis auctor,
[Quem nostri quondam córporis :
Ex illibáta vírgine
Nascéndo formam sumpseris.]
María plena grátie,
[Mater misericórdie :
Tu nos ab hoste prótege,
In hora mortis súscipe.]
Gloria tibi Dómine
[Qui natus es de vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu,
In sempitérne sécula. Amen.]

8277b.

Ant. Prophète predicavérunt. 74.

Psalmi. Deus in nómine. (liij.) [86].

Laudáte Dóminum omnes gentes. (cxvj.) [272].

Confitémini [Dómino. *Proximus sequens.*]²⁵³ (cxvij.) [87].

Capitulum. Esaie. 9. [: 1, 2.]

Egrediétur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascéndet : et requiescet super eum Spíritus Dómini. [R̃.] Deo grátias.

6155. R̃. Ave María grátia plena. †Dóminus tecum. *Iterum [reiteratur]*²⁵⁴ Ave María.

Ṽ. Benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui.

†Dóminus tecum. [Ṽ.] Glória. Ave María.

Hic ordo servetur in Responsoriis dicendis ad omnes horas.

Ṽ. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. 72.

Oratio. Deus qui de beáte Maríe. 21. que terminetur sic ad omnes horas, preterquam ad nonam, Per eúndem Christum Dóminum nostrum. [R̃.] Amen. sine Dóminus

vobíscum [in fine orationis].²⁵⁵ Et fnietur cum [Ṽ.] Benedicámus Dómino. R̃.

Deo grátias. Ad ix. [vero] sic concluditur in fine. Per eúndem Dóminum nostrum

[6v.] Jesum Christum filium tuum, &c. [Per ómnia sécula seculórum. Amen.]²⁵⁶

Dóminus vobíscum. cum Benedicámus Dómino.

¶ *Ad iij.*

3794. *Ant.* Missus est Gábriel ángelus ad Mariám vírginem desponsátam Joseph.

Psalmi. Ad Dóminum cum tribulárer. (cxix.) [273].

Levávi óculos. (cxx.) [273].

Letátus sum in. (cxxj.) [276].

Capitulum. Esaie. 9. [: 3, 4.]

Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet : sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in equitáte pro mansuétis terre.

6445. R̃. Diffúsa est grátia [†In lábiis tuis].

Ṽ. Proptérea benedíxit [te Deus in etérnum].

†In lábiis.²⁵⁷ Ṽ. Glória. Diffúsa est.

Ṽ. Spécie tua. 72.

Oratio ut supra. [Deus qui.] 21.

¶ *Ad vj.*

Ant. Angelus Dómini nunciávit Maríe et concépit de Spíritu Sancto allelúya. 1414.

Psalmi. Ad te levávi. (*cxxij.*) [277].

Nisi quia Dóminus. (*cxxiij.*) [277].

Qui confidunt. (*cxxiv.*) [278].

Capitulum. *Esaie.* 9. [: 4, 5.]

¶ Percútiét terram virga oris sui : Et spíritu labiórum suórum interficiét ímpium : et erit justítia	cínqulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus.
---	--

R. Spécie tua, [†Et pulchritúdiene tua].

7679.

℣. Inténde[, próspere procéde, et regna].

†Et pulchritúdiene. [*℣.* Glória Patri. Spécie tua.]

℣. Adjuvábít [eam Deus vultu suo.

℞. Deus in médio ejus : non commovébitur.

Oratio. Deus qui.] 21.

¶ *Ad ix.*

Ant. Ave María grátia plena Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus 1539.
allelúya.

Ps. In converténdo. (*cxxv.*) [278].

Ps. Nisi Dóminus. (*cxxvj.*) [280].

Ps. Beáti omnes. (*cxxvij.*) [282].

Hi psalmi predicti dicantur super horas beate Marie per totum annum : quando non fit plenum servitium de ea.

Capitulum. [*Esaie.* 7 : 10–12.]

L ocútu est Dóminus ad Achaz dicens, Pete tibi signum a Dó- mino Deo tuo : in profúndum inférni	sive in excélsu supra, et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dó- minu.
--	---

℞. Adjuvábít eam [†Deus vultu suo.]

6042.

℣. Deus in médio [ejus : non commovébitur.]

†Deus vultu [suo. *℣.* Glória. Adjuvábít.]

℣. Elégit eam [Deus.

R. [Et] Habitare [eam] facit.]²⁵⁸ [in tabernáculo suo].

[Oratio. Deus qui. 21.]

Iste hore dicantur supradicto modo quotidie per totum adventum quando non fit plenum servitium de sancta Maria.

[Hec antiphonam Salve regina. XX. dicitur coram altare cum genuflexione : et post antiphonam dicitur versus Ave María. XX. Oratio. Omnipotens sempitérne Deus que glorióse. ℣. XX. Per eúndem Christum Dóminum.]²⁵⁹

¶ *Ad j. de adventu Domini.*

[Dominicis diebus per adventum Domini ad primam dicitur hic cantus super hunc hymnum.]²⁶⁰


1531:6v; 1519-P:28v; HS:71v; 1531:6v; 1531-P:7v.²⁶¹

Hymn.
II.




Am lu-cis orto sý-de-re, * De-um pre-cémur súppli-

8328.




ces : Ut in di-úrnis ácti-bus, Nos servet a no-cénti-bus.



2. Linguam refré-nans témpe-ret, Ne li-tis horror ínsonet :




Vi-sum fo-véndo cónte-gat, Ne va-ni-tá-tes háuri-at.



3. Sint pu-ra cordis íntima, Absístat et ve-córdi-a :



Carnis te-rat su-pérbi-am, Po-tus ci-bíque párci-tas.




4. Ut cum di-es abscésse-rit, Noctémque sol re-dú-xe-rit :


Dominica prima adventus.



Mundi per abstinentiam, Ipsi canamus gloriam.



5. Deo Patri sit gloria, Eiusque soli Filio: Cum



Spiritu Patricio, Et nunc et in perpetuum. Amen.

Ant. In illa die. 66.

Ps. Deus Deus meus respice. (xxj.) [83].

Ps. Dominus regit. Gloria Patri. (xxij.) [84].

Ps. Domini est terra. (xxiij.) [85].

Ps. Ad te Domine levavi. Gloria Patri. (xxiiij.) [85].

Ps. Iudica me. (xxv.) [86].

Ps. Deus in nomine. Gloria Patri. (liij.) [86].

Ps. Confitemini. iij. (cxvij.) [87].

Ps. Beati immaculati. Gloria Patri. (xcviij. j.) [88].

Ps. Retribue. Gloria. (xcviij. ij.) [88].

Hi predicti psalmi ad j. dicantur supradicto modo omnibus dominicis diebus per totum adventum [nisi in vigilia natalis Domini quando dominica evenerit : tunc dicitur ps. Deus in nomine. ps. Beati immaculati. et ceteri psalmi qui sequuntur. Dicantur etiam],²⁶² et a Domine ne in ira. usque ad pascha²⁶³ et a Deus omnium. usque ad adventum [Domini]²⁶⁴ quando de dominica, agitur : ita tamen quod a lxx. usque ad pascha²⁶⁵ dicatur ps. Dominus regnavit. [236]. loco psalmi Confitemini.²⁶⁶

Quandocumque dicitur ps. Deus, Deus meus respice cum reliquis psalmis ad primam, dicitur super hunc ps. Quicumque vult hec antiphona, Te Deum Patrem. [89] [et cetera omnia ut in psalterio plenus notatur].²⁶⁷

In ceteris autem dominicis diebus simplicibus totius anni, et in omnibus festis semiduplicibus tam ix. lectionum quam iij. cum regimine chori et in octavis et infra

octavas quando chorus regitur, et in commemoratione beate Marie et festis loci : nisi in his festis que contingunt infra octavam sancte Trinitatis dicatur hec antiphona Te jure laudant. [90] super psalmum Quicúnque.

